per ſemidiametri DB terminum B agatur infinita BAP, ſemidiametro DF parallela. In ea detur punctum A, & capiatur ſegmentum AP velocitati proportionale. Et cum reſiſtentiæ pars altera ſit ut velocitas & pars altera ut velocitatis quadratum; ſit reſiſtentia tota ut AP *quad.* $+2BAP$. Jungantur DA, DP circulum ſecantes in E ac T, & exponatur gravitas per DA *quad.* ita ut ſit gravitas ad reſiſtentiam in P ut DAq ad $APq+2BAP$: & tempus aſcenſus totius erit ut circuli ſector EDT.



Agatur enim DVQ, abſcindens & velocitatis AP momentum PQ, & ſectoris DET momentum DTV dato temporis momento reſpondens; & velocitatis decrementum illud PQ erit ut ſumma virium gravitatis DAq & reſiſtentiæ $APq+2BAP$, id eſt (per prop. 12. lib. 2. elem.) ut DP *quad.* Proinde area DPQ, ipſi PQ proportionalis, eſt ut DP *quad.* & area DTV, quæ eſt ad aream DPQ ut DTq ad DPq, eſt ut datum DTq. Decreſcit igitur area EDT uniformiter ad modum temporis futuri, per ſubductionem datarum particularum DTV, & propterea tempori aſcenſus totius proportionalis eſt. *Q. E. D.*

Caſ. 2. Si velocitas in aſcenſu corporis exponatur per longitudinem AP ut prius, & reſiſtentia ponatur eſſe ut $APq+2BAP$, & ſi vis gravitatis minor ſit quam quæ per DAq exponi poſſit; capiatur BD ejus longitudinis, ut ſit $ABq-BDq$ gravitati proportionale, ſitque DF ipſi DB perpendicularis & æqualis, & per verticem F deſcribatur hyperbola $FTVE$, cujus ſemidiametri conjugatæ ſint DB & DF, quæque ſecet DA in E, & DP, DQ in T & V; & erit tempus aſcenſus totius ut hyperbolæ ſector TDE.



Nam velocitatis decrementum PQ, in data temporis particula factum, eſt ut ſumma reſiſtentiæ $APq+2BAP$ & gravitatis $ABq-BDq$, id eſt, ut $BPq-BDq$. Eſt autem area DTV ad aream DPQ ut DTq ad DPq; ideoque, ſi ad DF demittatur perpendiculum GT, ut GTq ſeu $GDq-DFq$ ad

ad BDq, utque GDq ad BPq, & diviſim ut DFq ad $BPq-BDq$. Quare cum area DPQ ſit ut PQ, id eſt, ut $BPq-BDq$; erit area DTV ut datum DFq. Decreſcit igitur area EDT uniformiter ſingulis temporis particulis æqualibus, per ſubductionem particularum totidem datarum DTV, & propterea tempori proportionalis eſt. *Q. E. D.*

Caſ. 3. Sit AP velocitas in deſcenſu corporis, & $APq+2BAP$ reſiſtentia, & $BDq-ABq$ vis gravitatis, exiſtente angulo DBA recto. Et ſi centro D, vertice principali B, deſcribatur hyperbola rectangula $BEIV$ ſecans productas DA, DP & DQ in E, T & V; erit hyperbolæ hujus ſector DET ut tempus totum deſcenſus.

Nam velocitatis incrementum PQ, eique proportionalis area DPQ, eſt ut exceſſus gravitatis ſupra reſiſtentiam, id eſt, ut $BDq-ABq-2BAP-APq$ ſeu $BDq-BPq$. Et area DTV eſt ad aream DPQ ut DTq ad DPq, ideoque ut GTq ſeu $GDq-BDq$ ad BPq, utque GDq ad BDq, & diviſim ut BDq ad $BDq-BPq$. Quare cum area DPQ ſit ut $BDq-BPq$, erit area DTV ut datum BDq. Creſcit igitur area EDT uniformiter ſingulis temporis particulis æqualibus, per additionem totidem datarum particularum DTV, & propterea tempori deſcenſus proportionalis eſt. *Q. E. D.*



Corol. Si centro D ſemidiametro DA per verticem A ducatur arcus At ſimilis arcui ET, & ſimiliter ſubtendens angulum ADT: velocitas AP erit ad velocitatem, quam corpus tempore EDT, in ſpatio non reſiſtente, aſcendendo amittere vel deſcendendo acquirere poſſet, ut area trianguli DAP ad aream ſectoris DAt; ideoque ex dato tempore datur. Nam velocitas, in medio non reſiſtente, tempori, atque ideo ſectori huic proportionalis eſt; in medio reſiſtente eſt ut triangulum; & in medio utroque, ubi quam minima eſt, accedit ad rationem æqualitatis, pro more ſectoris & trianguli.

Scholium.

Demonſtrari etiam poſſet caſus in aſcenſu corporis, ubi vis gravitatis minor eſt quam quæ exponi poſſit per DAq ſeu $ABq+BDq$, &